



00 Ri.

20

J



1. N. D. M. 7. 6.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
STATU HOMINIS
POST HANC VITAM,

QUAM

Concedente Venerandâ Facultate THEOLOGICA,
In Alma Marchiarum Universitate,
Eruditorum Ventilationi Submittunt,

P R Æ S E S

JOHANNES SIMONIS,

SS. Theol. Doctor, Logicæ Ord: & Metaph: Extraord:
P. P. & h. r. Facultatis Philosoph. DECANUS.

Respondens

GOTHOFREDUS SIGISMUNDUS *Weider/*
Coth. Anhaltinus.

DIE 5. MARTII.

Horis locoque consuetis.



Excudit ANDREAS BECMANUS,
M DC LXX.

SERENISSIMO ATQUE CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DN. IMMANUELI,
PRINCIPI ANHALTINO, COMITI
ASCANIÆ, DOMINO SERVESTÆ AC
BERNBURGI &c.
PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

In

HUMILLIMÆ ET GRATITUDINIS ET SUBJECTIONIS
TESSERAM,

Exercitium hoc Theologicum

dedicat & offert



17WB 1720

GOTHOFRIDUS SIGISMUNDUS WEYDEN.



DISPUTATIO XX.

De
STATU HOMINIS POST HANC VITAM.

S*I in hac solum vitâ speramus in Christum, miserrimi omnium ho-*
minum sumus, Apostolus exclamat, dum Resurrectionem
Christi & ex hac infallibilem nostræ certitudinem demonstrat.
Sanè miserrima foret eorum conditio, qui Christum candidè
sequuntur ex ejus præscripto, Mortuorum resurrectio si frustra
speraretur! Quorsum enim tot calamitates, paupertates, con-
temptus, qui pios tantùm ut continui tortores exercent? Frustra-
ne fides nostra foret & bestiarum instar sine spe periremus? Absit,
absit! Atheorum hæc vel fides est, vel votum. At pereant æter-
nùm hæc bestia, quibus non nisi bestialem mortem mori destina-
tum est; Nobis certissima stat hæc resurrectio & inde jucundissi-
ma est contemplatio ejusdem, ut & omnis nostræ conditionis
post hanc vitam futuræ. Hac vice in 4. Sectiones eam commodè
hæciscimus, in Mortis, Resurrectionis, Judicii & Vitæ æternæ
considerationem. Adsis, Christe Omnipotens, & juva!

SECTIO I. MORTEM EXPENDENS.

PER mortem nil nisi corporis & animæ solutionem non Phy-
sice sed Theologicè consideratam hoc loco intelligi in an-
tecessum supponimus. Dari hanc dies docet; In quo confi-
stat, Causarum, Subjecti, Adjunctorum evolutione innotescit.
Ex causis prima est Efficiens; Cumque Mortem non Physicè sed
Theologicè consideremus, non in isto sed hoc modo ejus cen-
sideratæ causas inquirimus, supponentes ejus, scilicet Physicæ
consideratæ mortis, causam internam & naturalem esse nativi
caloris defectum, & externas, quæ violentæ etiam, quamvis ina-
daqua-

T t

daquatè, dici possunt, varias, v.g. aërem infectum, ignem, aquã,
 2. gladium &c. Mortis hoc loco considerandæ causa est tum Pro-
 merens, tum Decernens; Uti hæc est Deus, qui homini mortem
 ut Pœnam dictavit *Gen. 2. 17. c. 3. 19.* & deinde virtutem vitæ con-
 servatricem subtrahit *Psal. 90. 5, 6, 7, 8. & seqq.* Ita illa est Diabo-
 lo ad peccata, formales mortis causas, hominem impellens & se-
 ducens *Gen. 3. 1, 4, 13. Job. 8. 44.* Et Homo ipse tum primus *Gen. 3.*
19. Rom. 5. 12. 1. Cor. 15. 22. tum subsequentes omnes, qui moriun-
 tur, cum peccatis, *quorum stipendium mors existit Rom. 6. 23.* Sibi
 mortem quotidie accersant. Satan, cum omnes ad peccandum
 impellat, mortis ubique causa moralis est, Adam suæ ipsius pro-
 xima & remota posterorum, unusquisque autem propriæ pro-
 xima ut Quæ, ut quæ peccatum existit. Efficientes causæ Satan &
 3. Homo dicuntur, digniores deficientium vocabulo, cum non a-
 gendo sed deficiendo potius in actione causentur. Contrà Deus,
 qui ut Judex nocentibus mortis pœnam infligit. Formalem
 mortis rationem in solutione corporis & animæ consistere pa-
 tet, non in totali hominis annihilatione, quæ Socinianorum sen-
 tentia esse fertur. Nam ut ut quædam Scripturæ loca docent,
 mortuos non amplius esse, id tamen non de annihilatione sin-
 gularum partium, sed totius compositi intelligendum est. To-
 4. tum compositum non amplius est, scilicet in Unione, sed annihi-
 latur, dum in partes Essentiales resolvitur. Partes vero non anni-
 hilantur, nam *corpus redit in terram, unde fuit, & Spiritus rever-
 titur ad Deum, qui dederat illum. Eccles. 12. 9.* Enimvero si Abra-
 ham, Isaac & Jacob vivant *Luc. 20. 37, 38.* Si Latio suspensus post
 mortem cum Christo in Paradiso fuerit *Luc. 23. 43.* Imo si Chri-
 stus ipse verè mortuus fuerit, falsissimum est, mortuos annihila-
 ri, cum ille non annihilatus fuerit. Plura hæc de re infra exhibe-
 bimus. Finis pro diversitate hominum morientium diversus est;
 Alius Piorum, alius Reproborum respectu. Eorum namque re-
 spectu non tam pœna est pro peccatis, quam testificatio tantum
 de peccatis, eorum plena abolitio, à calamitatibus omnimoda.

libe-

liberatio & transitus ad vitam æternam Job. 5. 24. Rom. 6. 7. At im-
piorum ratione omnino pœna est peccatorum eoque formida- 5.
bilior quo tristissimus finis existit voluptatum, quas è peccatorū
continuatione perceperunt, & initium æternarum atque inffa-
bilium calamitatum. Proinde cum mortis finis adeo diversus sit
pro morientium diversitate, liquet non eandem conditionem,
violenta morte peremptis & *αὐτοφόνως* post mortem esse. Uti e-
nim nec omnes damnati ita nec omnes salvati & beati dici pos-
sunt. Ex iis multi peccata serio agnoscunt, deplorant, sincerè re- 6.
sipiscunt, Christi meritum verà fide amplectuntur inque eâ mo-
riuntur unicè. Exemplo sit latro à dextrà Christi suspensus & cum
hoc multi alii, quos pie mori experientia docet. Ecquis tales
condemnaret, cum ipsimet omnes talia designaverimus pecca-
ta, quibus æterna mors deberetur, à quibus non nisi morte Chri-
sti nobis verà fide applicatâ liberamur, at quis denegabit hanc
piè morientibus, utut manu carnificis? Multi supplicia istiusmo-
di elabuntur, num propterea vitâ æterna digniores? Contrà mul-
ti sine verà fide & seriâ pœnitentiâ decedentes sicut aliàs, utut natu-
rali morte extinguerentur, à cœlo aberrarent, ita nec Diabolâ
faucibus eripientur carnificis manu. *αὐτοφόνως* alia est ratio,
quamvis nec hæc eadem. Quemadmodum enim *αὐτοχέρεια* pec- 7.
catum est mortale, præ multis abominabile & gehennâ dignissi-
mum, ita per manifestum Dei verbum à damnatione absolvi non
potest is, qui volens & sciens eandem in se admiserit. De ijs qui vel
ob evitandum gravius supplicium, vel effugiendam pro meritam
ignominiam aut infamiâ, vel acquirendam insignem gloriam & c
inter Theologos certum est, tales pro beatis haberi non posse,
cum à Deo ipso facto ad Satanam desciverint. Alia conditio eor- 8.
um esse videtur, qui ad promovendum Ecclesię aut patrię com-
modum, majusq. damnum & à se & à patriâ aut Ecclesiâ averrū-
candum ope sulphurei pulveris accensi aut cum navi aut com-
misso propugnaculo ad ætherem evolant, Sed videtur, non est,
cum bona intentio rem per se malam non valeat bonam red-
dere,

dere in Dei etiam providentiam tales impingunt, cui dubius e-
 ventus committendus foret; æquè adeoque hominibus sunt, de
 divino auxilio desperant, à Deo ad Satanam deficiunt. Consulere
 volunt Patriæ seu Ecclesiæ, at modo maximè prohibito, indeque
 9. pessimo omnium; Annumerandi ergo prioribus. Verùm illi qui
 præ nimia melancholiâ vim sibi inferunt cœtera ad mortem us-
 que pii, cœlo extorres pronunciari non possunt, cum hic maxi-
 mè obtineat id, *mala mors putanda non est, quam bona vita præce-*
cedit, nec is pleno voluntatis consensu & intellectu omnia ritè
 expendente tale facinus patrasse censendus est, cum profundè
 10. melancholicus à mente capto parum absit. Objectum circa quod
 mors occupatur, quod hoc loco non incommodè Subjectum
 dici potest, quia mortem in se admittit & suscipit, est totus ho-
 mo seu totum hominis compositum, non distinctæ partes, eo
 quod uti actiones suppositorum sunt, ita etiam passionēs, nec
 singularum partium; Nam in annihilatione harum non consistit
 mortis ratio, ut ante vidimus. Uti ergo totus, ita omnis homo
 Mortis subjectum est, qui modo ex Adamo originem naturaliter
 trahit; Hoc probat Scriptura *Psal. 89. 49. Job. 14. 2, 3. cap. 30. 23.*
Hebr. 9. 27. Hoc evincit universalis mortis causa *Rom. 5. 12. 1. Cor. 15.*
 11. 22. Hoc docet ipsa experientia. Proinde à morte immunis non
 est nisi (1) Salvator, qui quod peccatorum expers fuit, ita etiam
 liber vixit à morte, nam quod semel mortuus est, id nostra causâ
 factum, inde non detineri potuit in morte. (2) Protoplasti ante
 lapsum, qui si à peccato sibi temperassent, mortui fuissent nun-
 quam. Vide *Disp. X. Sect. 3. §. 19.* (3) Henoch & Elias: Hos namque
 vivos ad se in cœlum transtulit Deus *Gen. 5. 24. Hebr. 11. 5. 2. Reg. 2.*
 12. 11. Ille per fidem dicitur translatus à Deo, ne videret mortem, & ob-
 tinuisse testimonium, quod placuerit Deo; Hic turbine dicitur ascē-
 disse in Cœlum. Negare hæc non potest nisi qui totius Scripturæ
 auctoritatem in dubium vocare velit. Atheis tolemne est, per hos
 cuniculos omnem Christianam fidem evertere, scilicet vel sub-
 dubiè de veritate alicujus dicti aut historiæ sacra differendo,
 vel

vel eam palam in dubium vocando, id tamen deinde, si quando
urgeantur, conficta explicatione emolliendo. Ad hanc classem, 13.
scilicet eorum quibus mortis gratiam pro imperscrutabili suo
arbitrio Deus fecit, eos etiam multi referre satagunt, qui tum
à Christo ipso, tum a Prophetis & Apostolis a morte denuo in
vitam revocati fuere, quia debitum naturæ semel solverunt,
Hebr. 9. 27. Per mortem à peccatis purgati sunt, nec de e-
orum secundâ morte quicquam memorat Scriptura. At
contraria sententia verisimilior apparet, quia illi mortui re-
suscitati fuerunt non ad gloriosam, sed ad naturalem & ter-
restrem vitam, unde etiam corpora receperunt non clarificata
& gloriosa, sed terrestria, quæ cibo & potu eguerunt *Marc. 5. 43.*
Job. 12. 2. At in illâ resurrectione, à quâ ad mortem nullus res-
gressus datur, homines erunt *ἰσάγγελοι Luc. 20. 36.* *Hominibus 14.*
constitutum est semel mori, ordinariâ scilicet Dei dispositione,
quæ mors tunc demum complementum suum accipit, quando
subsequentem habet corporis in cinerem redactionem; Non
quod sine hac mors non vera & perfecta existat, cum Christus
omnino verè mortuus fuerit, quamvis caro ejus non viderit
corruptionem, sed quod *Hebr. 9. 27.* non alia completa mors in-
telligatur, quam quæ redactionem corporis in cinerem inle-
quentem habet, cum talis æque pars pœnæ peccatis debitæ sit ac
ipsa separatio corporis & animæ. Nec illa mors omnium pec-
catorum abolitio dici potest, sed tantum in priori vitâ commis-
sorum, non in posteriori, quia illi resuscitati aliis peccatis haut
dubiè sese denuo implicuerunt, cum nemo hominum in terris
sit, qui non peccet *1. Reg. 8. 46.* Illique opus habuerint in orati-
one Dominicâ remissionem peccatorum cottidie expetere.
Quod autem de eorum secundâ morte in Scriptura nihil recen-
seatur, id inde fit, quia hæc ut communis & notissima supponi-
tur; At rectius hinc pro nostrâ sententiâ argumentamur, quia
de eorum singulari à morte secunda præsertatione & translati-
one in Scripturâ nihil habetur, cum extraordinarium hoc &

Speciale beneficium Scriptura vix reticuiſſet, quod talis non
 contigerit. De Sanctis qui cum Chriſto reſurrexerunt, an de-
 nuo mortui fuerint, tutius eſt ἐπιχειρῆναι tenere, quàm certi quid
 aſſerere, cum Scriptura heic ſimpliciter taceat. Certum tamen
 eſt, uti illud, quod denuo mortui ſint citra impietatem, ita
 contrarium majori probabilitate dici poſſe. Adjuncta mortis
 16. ſunt (1) Certitudo ejus abſolutè conſideratæ; Morte enim nihil
 certius. (2) Certitudo & immutabilitas temporis à Deo defi-
 niti, quâ de Vide *Diſp. 8. Sect. 2. §. 15, 16. & ſeqq.* Quæ tamen im-
 mutabilitas non obſtat, quo minus pii non quidem ex diffiden-
 tiâ de auxilio divino, vel carnali tædio aut impatientia aut fugâ
 debitorum laborum, ſed ex pio deſiderio erga Dei & Salvatoris
 noſtri conſpectum atq; Angelorum & Electorum conſortium,
 ſub conditione, ſi Deo ita viſum fuerit, maturam mortem ſine
 17. peccato expetere poſſint. (3) Incertitudo temporis ad noſtram
 præſcientiam relati; *Nescit enim homo tempus ſuum Eccl. 9. 14.*
 Niſi id ſingulariter & extraordinariè Deus manifeſtaverit. (4)
 Formidabilitas: Formidabilis mors eſt naturâ, at amabilis ex
 Spiritu S. regeneratis, cum his ad æternam Salutem via exiſtat
 paratiſſima. (5) Unitas; Statutum eſt hominibus ſemel mori
Hebr. 9. 27. Scilicet gubernatione & diſpoſitione Dei ordinariâ,
 quæ extraordinariæ & ſpeciali non repugnat, ut ante vidimus.
 18. Conſequentia mortis vel totum Compoſitum reſpiciunt vel ſin-
 gulas ejusdem Partes. Illa ſunt præprimis amiſſio omnium
 mundanorum bonorum & gaudiorum *Pſalm. 49. 18.* Privatio
 ſpatii ad reſipiſcendum & impetrandæ remiſſionis peccatorum;
 Nuda ex hoc mundo egreſſio *Job. 1. 21. 1. Tim. 6. 7.* Hæc pro du-
 plicitate partium Essentialium etiam duplicia ſunt; Quædam
 enim corpus, quædam animam reſpiciunt. Illa ſunt (1) citiſſi-
 ma putrefactio & omnium teterrimus foetor. (2) Sepultura
 19. (3) In cinerem converſio. De Sepulturâ notamus [1] Corpora
 mortuorum rectiſſimè inferri terræ ſeu humari, quia id exigunt
 (1) exempla Sanctorum V. & N. Testamenti. (2) Exprefſa Dei

Lex

Lex *Gen. 3. 19. Eccles. 12. 7. Dan. 12. 12.* Si enim in terram reverti & ex terrâ olim expergefieri debemus, conveniens est, ut terrâ etiam condamur. (3) Periculum & damnum, quod viventibus dant, nisi sub terra condantur. (4) Comparatio, qua Christus & Paulus corpora defunctorum granis in terram seminatis componunt *Job. 12. 24. 1. Cor. 15. 37, 38.* Notamus [II] Corpora Christianorum rectè honorificentiori sepulturâ affici. Hoc exigunt (1) iterum exempla Sanctorum V. & N. T. (2) Spiritus S. 20. ipse honestam sepulturam beneficij ac præmii, ejus verò denegationem pœnæ loco habendo *Gen. 15. 15. Deut. 34. 6. Psalm. 79. 3. Jerem. 22. 18, 19.* (3) Spes de futurâ eorum resurrectione. (4) Eorum dignitas, cum fuerint *habitacula Spiritus. S. in quibus Deus fuit glorificatus 1. Cor. 6. 19, 20.* Abesse tamen debent omnes luxus & Superstitio. Notamus [III] Funebres Conciones in aliquibus locis usitatas simpliciter improbandas non esse, adhibendam tamen duplicem distinctionem, sc (1) Inter ipsas Personas, quibus habentur; Fiant namque potissimum propter Viventes, ut illi ad gemina virtutis specimina edenda invitentur, (2) Inter ipsas Conciones, à quibus abesse debent nimia & intemperatiora encomia, ne ex funebribus mendaces conciones, *Aus Reichpredigten Lügenpredigten* fiant. (IV) Quamvis non improbanda simpliciter nonnullorum locorum consuetudo, quâ cœmeteria in urbe & in templis etiam habentur, cum sæpe natura loci aliæque circumstantiæ id exigant; Tutius tamen & salubrius esse, si habeantur extra urbem, idque propter exempla piorum in V. T. & primitivæ Ecclesiæ. *Vid. Gen. 23. 19, 20. Matth. 27. 60 Luc. 7. 12. Job. 11. 31.* Propter papalem superstitionem, quæ origo est monumentorum in locis consecratis conditorum & denique propter varia inde resultantia incommoda. (V) Probandum non esse illam consuetudinem, quâ facinorosorum corpora in patibulis vel rotis insepulta relinquuntur, cum pugnet (1) cum ipsâ humanitate; (2) Cum corporis humani dignitate; Indignum namque est, illud corpus quod olim in consortio Sanctorum Angelorum

&

& electorum hominum in æternum gloriosè vivere debet, vel
 ita victurum Christiano amore saltem præsumitur, à communi
 hominum sepulturâ, terrâ sc. excludere velle. (3) Cum expressâ
 23. Dei constitutione; *Gen. 3. 19. Deut. 21. 22 23. Excipis (1) In legibus Ci-*
vilibus id esse constitutum, quas non tollit Evangelium. Resp. Tollit
 omnino, si cum Scripturâ S. pugnant. Leges Civiles debent sub-
 ordinatæ & conformes esse Legibus divinis, utpote à sapientiore
 Legislatore datis. (2) *Deum comprobasse tale supplicij genus 2. Sam.*
21. 9, 14. Resp. (1) ossa tamen suspensorum horum sepulta sunt, ut
 patet è *vers. 10, 13, 14.* (2) Reconciliatus fuit Deus non eo, quod in-
 sepulta manserint cadavera suspensorum, sed quod justum sup-
 plicium sumtum à domo peccatrice Saulis, facti proin fuisset,
 non juris, si insepulta mansissent. (3) Finge tamen, Deum probasse
 se & hoc, inde tamen non sequitur, illud semper licitum esse;
 Cum tale singulare exemplum universalitatem Legis respectu
 nostri non tollat. Deus ut Legislator Legem suam restringere &
 limitare pro arbitrio potest; At nos non item. Expendantur hic
 exempla obstetricum Ægyptiacarum, Israëlitarum vasa Ægyptiis
 auferentium &c. (3) *Utile esse Reipubl. quia horrendis ejusmodi spe-*
 24. *ctaculis alij à similibus delictis deterreantur.* Resp. Et hanc utilita-
 tem, quæ etiam tunc obtineri potuisset, Deus non ignoravit, &
 tamen prohibuit. Multa talia spectacula hodie eduntur, nec ta-
 men deterrentur mali; Bonis territione nullâ opus. Sat territio-
 nis est ipsum supplicium, quod augeri posset, si nomina facinoro-
 rum cum ipsa supplicii historiâ in locis suppliciorum publicè
 prostant. (4) *Deum minari impijs sepulcrum asini Jerem. 22. 19.*
 Resp. Loquitur Prophetâ de Jehoiakimo Rege Judæorum in
 impietate perseverante nec unquam resipiscente; At facinorosi
 tales vel resipiscunt, vel saltem pro resipiscentibus ex judicio
 charitatis habentur. Deinde prædicit Deus non quod jure fieri
 debeat, sed quod de facto facturi sint hostes Chaldei, se in pœnam
 impii Regis ex justo judicio permittente; Denique non dicitur
 corpus Jehoiakimi penitus cariturum omni sepulcro, sed non
 sepul-

sepultum iri ut Reges Judæ, extra monumentum paternum regi-
giu sine planctu & luctu suorum. Tandem à speciali exemplo
universalem conclusionem inferre non licet. (VI) Manifestè & 25.
pertinaciter Impios, Hæreticos & in desperatione decedentes
non esse humanos sepulturâ honestâ & pijs Christianis usitatâ,
quia hoc fieret cum abusu nominis divini, cum piâ & Christia-
næ cantilenæ in funere manifestè impiorum caneren ur talesq;
prædicarentur beati; Deinde quia parum conveniens foret, ut
illorum corpora, qui vivi esse noluerunt in societate Ecclesiasti-
câ piorum, post mortem inter illos conderentur; Item iniquum
esset Impios hos honorare & honestæ sepulturæ præmiodignari
contra ipsum Dei exemplum. Vide 1. Reg. 14. 11. c. 21. 23. 2. Reg. 9. 35.
Jerem. 22. 17. & c. Illa consequentia, quæ Animam respiciunt, ite- 26.
rum duplicia existunt; Quædam communia, quæ Animam ut sic
sine determinatione ad certum subjectum excipiunt; Quædam
propria, quæ Animam Pij & Impij insequuntur. Illorum primū
est Esse sui semel indepti constans & nunquam interrupta con-
tinuatio, qua non uti corpus destruitur, vel acceptâ novâ formâ
transmutatur, diciturque aliàs Immortalitas. Hæc quamvis Ani-
mæ perpetim conveniat ut attributum ex ipsâ essentiâ fluens,
post mortem tamen omnium evidentissime sese exerit, cum à
corpore separata nullam in essentiâ suâ sentiat mutationem. Hæc
varios olim inter Paganos habuit & etiamnum Atheos & hære-
ticos habet adversarios; Contra illos & istos exempla plerorum-
que saniorum Ethnicorum tum Veterum, tum hodiernorum &
rationes è naturâ depromptæ; Contra hos luculentissima Scriptu-
ræ dicta pugnabunt. Exempla vide apud Lud. Crocium Syntagm. S.
Theol. lib. 2. cap 23. Rationes multæ à Philosophis pariter & Theo- 27.
logis adducuntur, quarum plurimæ parim satisfaciunt; Unicam
retinemus desumptam à Spiritualitate Animæ Rationalis. Spiritus
enim cum ex partibus non sit compositus nec pugnam è diversis
qualitatibus orientem, nec resolutionem in partes admittit, a-
deoque in se incorruptibilis est & immortalis. Animam vero ef-

te Spiritum, seu Substantiam Spiritualem, non materiale probandum est, tum contra eos, qui Scripturam admittunt, tum
 28. contra paganos aliosque qui Scripturam repudiant. Contra primos probatio facillima est. Evolvantur loca *Psalms 31. 6. Ps. 146. 4. Eccles. 12. 9. Zach. 12. 1. Matth. 27. 50. Luc. 23. 46. Act. 7. 59.* In quibus expresse Spiritus appellatur. Huc pertinet *Gen. 2. 7.* Ubi docetur, Corpori jam tum formato à Deo inditum & in nares ejus sufflatum esse halitum vitæ. Et quamvis formæ brutorum nonnunquam Spiritus seu Spirationes quoque nuncupentur, hoc tamen fit cum adjectione Carnis vel vitæ *Gen. 7. 15. Eccles. 3. 19, 21.* non dicit Salomo, quid serio sentiat ipse, sed quid sentiat homo naturalis & profanus, aliàs sibi ipsi contrarius esset *cap. 12. 9.* Liquet inde quam improdenter agant illi, qui cœtera Orthodoxi, Animæ tamen spiritualitatem negant, cum sic non tantum validissimum pro animæ immortalitate argumentum abjiciant, sed etiam ipsius Scripturæ autoritatem labefactando planissimam Atheismo viam sternant. Contra hos, sc. paganos aliosque qui Scripturam non admittunt, animæ spiritualitatem probamus ab operationibus animæ, quæ à materiâ independentes & Spirituales sunt, scilicet intellectu, quo Deus, Angeli, ipsa anima ejusque operationes apprehenduntur, cum modum essendi sequatur modus operandi & contra.
 30. Objicis (1) *Hæ intellectus operationes cum Phantasiâ, quæ materialis est, conjunctas esse.* Resp. (1) Hoc de omnibus intellectus actibus falsum est, uti id experientia probat. (2) Illæ actiones, ad quas etiam phantasia concurrat, non dependent à phantasiâ effectivè aut subjectivè, cum ita ab intellectu tantum dependeant, sed tanquam à causâ sine qua non, vel etiam ut à causâ Instrumentali. Obj. (2) *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensibus.* Resp. Est universalis accommodata, & intelligitur de objectis materialibus. In Scripturâ autem Immortalitas Animæ tam certa est, quam quod certissimum, Expendantur loca *Eccles. 12. 9. Matth. 10. 28. cap. 22. 32. Luc. 16. 27. cap. 21. 38. cap. 23. 43. 46. Phil. 1. 23. 1. Petr. 3. 19. Apoc. 6. 9.* Animam igitur immortalem esse & post hominis mortem

tem adhuc vivere jam probatum est. Quænam Animarum in 31.
 illo separationis statu sit conditio, si quærat, supponimus (1)
 Falsissimam esse illam vulgo sic dictam Pythagoricam μετεμψύ-
 χωσιν, quæ animæ post mortem creduntur in alia corpora seu ho-
 minum seu brutorum transmigrare; Pugnatur namque hæc non
 tantum cum omnibus illis dictis, quæ ante pro Immortalitate
 Animæ adduximus, sed etiam cum plerisque fidei articulis, utpote
 cum Articulo Redemptionis, Sanctificationis, Resurrectionis, ex-
 tremi iudicii, æternæ Salutis & damnationis, cum non brutorum
 sed hominum animas Christus redemerit, sanctificet, excitaturus,
 iudicaturus &c. sit; Et illa anima quæ in hoc corpore sanctifica-
 ta est & æternæ salutis destinata, non potest in alio impiè agens
 deferri & damnari. Supponimus (2) heterodoxam esse pariter & 32.
 repugnare Scripturæ S. ψυχοπαυσίαν, qua animæ ad ultimum us-
 que iudicium dormire finguntur vitalium actionum prorsus ex-
 pertes, cum ex Scripturâ constet, piorum animas simul atq; cor-
 pus reliquerint transferri in paradysum *Luc. 23. 43.* In sinum Abra-
 he, ibidemq; jucundissimâ consolatione frui, *Agnum in desinen-*
ter sequi Apoc. 14. 4. & ultionem sanguinis sui exposcere *Apoc. 6.*
10. Impiorum verò cruciari. Sequitur hinc simul, animas omnes
 eorum meminisse, quæ egerunt in hac vitâ, & nosse, quæ fors se
 post iudicium maneat, atque vel gaudere felicitatis suæ cogita-
 tione, vel torqueri terribilis supplicij expectatione. Sed juvat
 jam in proprias Conditiones Animæ tum Piorum, tum Impio-
 rum inquirere; Hæ sunt tum Facultates & Actiones, tum locus, 33.
 quo recipiuntur post separationem. Animas piorum post sepa-
 rationem à corpore meminisse eorum quæ hic egerunt, Deum
 celebrare & Agnum perpetim sequi, jam dictum est. Addimus, in
 genere etiam nosse conditionem Ecclesiæ militantis, quod sub
 cruce sit, cum noverint id in his terris, item intercedere pro Ec-
 clesiâ apud Christum, quia Charitas in vitâ æternâ non interci-
 det *1. Cor. 13. 8.* Nec improbable est per extraordinariam Dei re- 34.
 velationem etiam particularem notitiam à Deo accipere. Si e-
 nim

nim Deus non gravatus fuerit servis & Prophetis suis multorum
 particularium revelare futuritionem, verisimile est, illud etiam
 fieri animabus Piorum. At quod specialem notitiam habeant o-
 mnium eorum, quæ in his terris geruntur, eaque, quæ quandoq;
 sciunt, ordinariè sciant, id ut figmentum cum similitudine intelle-
 ctus humani, naturâ Dei & Scripturâ pugnans rejicimus; Quippe
 Omniscientia est essentielle Dei attributum proindeq; nulli Cre-
 aturæ communicari aptum. Huc pertinent *1. Reg. 8. 39. Apoc. 2. 23.*
35. Jes. 42 8. Pontificij per summè impudentem idololatriam San-
 ctos adorantes iis talem tribuere omnium particularium rerum
 scientiam non erubescunt, quamvis in designando modo, quo
 hæc iis competat non conveniant. Quidam enim hic beatificam
 Dei visionem nominant, quidam Angelorum relationem; Alij
 confingunt miram quandam celeritatem, quâ ipsæmet quodam
 modo sunt ubique & per se audiunt preces supplicantium. At
 præter quod hi modi omnes ἀγραφοί sunt & ἀβίγγραφοί, se invi-
 cem ipsimet etiam evertunt, ut id ex collatione patet. Fluit ex
 his non nisi per impietatem, idololatriam summamque in Deū
 injuriam sanctis transcribi Omnipræsentiam, Omnipotentiam,
 beneficiorum collationem & præsidium atque gubernationem
36. rerum terrestrium &c. Locum, quo piorum animæ recipiuntur,
 Scriptura nullum alium nominat præter Cælum beatorum;
 Hunc appellat *sinū Abrabæ Luc. 16. 22. Paradisum, cap. 23. 43, 2. Cor. 12.*
Apoc. 2. 7. Domum Patris Christi, in quâ habitationes multe sunt
4. Job. 14. 2. Adeo ut merito pro putidis figmentis habeantur (1)
 Pontificiorum purgatorium, receptaculum eorum, qui non sa-
 tis purgati sunt, inferno proximum. (2) Limbus puerorum non-
 dum baptizatorum, in quo non sensus sed damni pœna sustinen-
 da. (3) Limbus Patrum, receptaculum animarum Patriarcharū
 & virorum sanctorum V. T. ante Christi ad inferos descensum
 mortuorum, inde verò liberatorum à Christo ad inferos descen-
37. dente, atque ideo jam vacuum. De Impiorum animabus contra-
 ria pronunciat Scriptura, scilicet quod migrent ad infernum
 ibi-

ibidemque sentiant cruciatus æternos. De eorum animabus, qui
à Christo, Prophetis & Apostolis ad hanc vitam revocati fuere,
certi quid pronunciare difficilius erit. D. Maresius in peculiari
disputatione de ubi Animæ Lazari locum à cœlo & Inferno di-
stinctum amplectitur eumq; argumentis non contemnendis it-
propugnatum, & quia nihil ultra de illo specificare certò & apo-
dicticè valet, appellat *Locum Dispensationis*. Nos sententiam hanc 38.
in medio relinquentes, tutiorem tamen pronuntiamus illam,
quâ illæ animæ primò in cœlum receptæ indeque ad corpus re-
vocatæ creduntur, tum quia Scriptura tantum duorum locorum,
Cœli & gehennæ, in genere meminerit, de tertio ne remotissimè
quidem quicquam referens, tum quia ille tertius, utcunque ex-
cusetur, saltem favere videtur fictitio Pontificiorum purgatorio
& Limbo patrum. Nec est quod excipias (1) *non posse ad miseras* 39.
hujus vitæ reverti, qui semel Beatitudinis loco receptus est. (2) *Nihil*
coinquinati in Cœlum admitti Apoc. 21. 27. At horum peccata non
planè abolita fuisse, cum post mortem sese iterum prodiderint, que
denuò revixisse dici non possunt, cum sic Deus, quia immediate Au-
tor fuit reviviscentiæ, etiam Autor fuisset renascentiæ peccati. (3) *De*
supremæ felicitatis essentiâ esse æternitatem & perseverantiâ, Ap. 3. 12.
Primum enim verum est de ordinariâ Dei dispositione, quæ non 40.
obstat, quo minus secundum absolutam suam & potestatem &
potentiam extraordinariè & contrarie agere possit. Imo si ipsius
Christi & Angelorum Beatitudini non repugnet, Cœlo aliquan-
tis per relicto in terrâ contristari & angere, singulari Dei consilio &
salute hominum id exigentibus, utique ab hoc immunes esse
homines non possunt, Divinæ gloriæ manifestatione & homi-
num salute id requirentibus; Summa omnium Beatorum feli-
citas est exequi voluntatem Dei, proinde dici non possunt infe-
lices fuisse illæ animæ, si Deo ita volente ad corpus redierint.
Nec secundum quicquam obtinet; Certissimum namque est, 41.
in hac vitâ omnia remitti peccata, cum verò isti revera mortui
fuerint, peccatorum etiam remissionem obtinere; Nec magis
dici

dici potest Deus Autor illorum peccatorum, quæ denuo perpetrarunt istæ corporibus redunitæ animæ, quam eorum quæ omnes homines designant, cum in omnibus animam à peccatis puram creare dicatur. Imò hic scrupulus ipsam de loco dispensationis sententiam vellicat, cum sic itidem peccati causalitas in Deum devolveretur, quando animam puram corpori redderet, in quo post denuo peccaret. Tertiū non nisi de supremâ omnibusque numeris absolutissimâ beatitate verum est. Liquet ex his, Mortem esse dissolutionem Corporis & Animæ à Deo hominibus propter peccata immissam, ut transitus sit ad statum æternum. Tantum de Morte.

SECTIO II. RESURRECTIONEM CONSIDERANS.

1. **P**er Resurrectionem hoc loco considerandam intelligimus Universalem illam omnium mortuorum hominum è morte suscitationem & in vitam revocationem. Hanc Resurrectionem mortuorum non tantum extra Ecclesiam Gentiles, sed & in Ecclesiâ plurimi Hæretici infitiati sunt olim, & etiamnum sudes in oculis est hic fidei Articulus multis, cum primis Atheis, quibus heic merito annumerandi veniunt Sociniani, qui quamvis Resurrectionem tandem fateantur, ea tamen illis non est Universalis omnium mortuorum, sed tantum piorum, nec ejusdem carnis, sed novæ carnis & Animæ denuo productarum unionem. Contra hos omnes thesis nostra firmissimè munienda est. Duo argumenta ex Naturâ urgemus, (1) A conscientiarum scrupulis, quibus nonnunquam anguntur vel impijssimi omnium, etiam tunc cum à nulla creaturarum quicquam timere habent. Nisi hi aliam post hanc vitam crederent, quâ dare debeant justas malitiæ suæ pœnas, cur tantopere contristarentur. (2) A divinâ justitiâ. Deum enim qui credit, justum credat oportet, qui unicuique suum tribuat, præmia bonis & pœnas malignis. At quis non videt contrario modo sæpe evenire in hoc mundo, scilicet ut Bonis male sit, optimè vero impiis; Necessum igitur est alium locum esse, quo cuique suum tribuatur; In Resurrectione

one

one igitur hoc sit oportet, cum in hac vitâ non detur. Fatemur
tamen lubentissimi hæc argumenta non necessaria esse & apo-
dictica, sed probabilia tantum & topica & proinde non nisi con-
fusam & generalem non specialem & distinctam hujus doctri-
næ notitiam gignere. Hinc etiam Sapientibus hujus mundi
ridicula, peregrina & creditu perquam difficilis fuit *Act. 17. 18. 20.*
Imo Festo, Judæorum præfidi *Insania* planè *Act. 26. 24.* Firmis- 4.
sima ideo & apodictica argumenta unicè ex Scripturâ petenda
sunt, nec adversus talem, qui resurrectionem præfractè nega-
tum in hunc fidei articulum primò probemus, sed pugna ordi-
enda erit à probandâ Scripturæ S. veritate & autoritate. Hic si
primi vicerimus, de secundâ victoriâ esse poterimus quàm cer-
tissimi. Verùm nec hic probandi modus unicus erit, cum loca
Scripturæ huc pertinentia non unius generis sint. Adducemus
ergo primò, quibus hæc futura Resurrectionis existentia firmis-
simè demonstratur, & deinde quibus confirmatur eadem. Loca
hæc tum V. tum N. Testamenti sunt. E Testamento V. tan-
tum duo adducemus, sc. *Job. 19. 25, 26, 27. Dan. 12. 2, 3.* Excip. ad
(1) *Jobum non loqui de resurrectione à mortuis, sed de restitutione* 5.
sui in integrum. Resp. At de hac planè desperavit in ipso hoc ca-
pite *vers. 30.* Ut & *cap. 7. 7. cap. 16. v. Ult. cap. 30. 23.* Ad (2) *Dicuntur*
multi experrecturi, non omnes, inde non hæc Universalis Resurre-
ctio intelligi poterit. Resp. Loqui Prophetam de universali mor-
tuorū resurrectione singula verba evidentissimè demonstrant.
Multi verò dicuntur resurrecturi, non respectu mortuorum,
quasi multi tantum ex, iis, non omnes resurrecturi essent sed re-
spectu omnium in universum hominū, tum eorum quos tunc
vivos deprehendet ultimus dies, tum ipsorum mortuorum, hoc
respectu sanè multi tantum resurgent, cum multi non moritu-
ri sint *sed vivi in occursum Domini rapiendi.* E N. Testamento 6.
longè plura huc pertinent, nimirum *Matth. 12. 41, 42. Marc. 12.*
26. Luc. 11. 31, 32. cap. 14. 14. cap. 22. 30. Job. 5. 28, 29. cap.
6. 42, 43, 54. c. 11. 24. c. 14. 19. Act. 4. 2. cap. 17. 18. c. 23. 6. c. 24. 15. c. 26.
8. Rom.

8. Rom. 4. 17. 2. Cor. 1. 9. c. 4. 14. Phil. 3. 20, 21. 1. Thess. 4. 13, 14. & seq.
 7. 2. Tim. 4. 8. Apoc. 20. 12, 13. Huc pertinet totum caput 1. Cor. 15.
 In quo non tantum Resurrectionem asserit sed & solidissime
 probat idq; (1) à Resurrectione Christi *vers. 12, 13, 16.* Consequen-
 tia patet, quia Christus est vitis & nos sumus palmites *Job. 15, 5. 6.*
 quia est caput & nos membra eius *Col. 1. 8.* [2] Ab absurdo, quod
 omnium miserimi essemus, qui in Christum speramus, nisi da-
 retur Resurrectio *vers. 19. vers. 21 & seqq.* expresse asserit, mor-
 tuos omnes in Christo resurrecturos, uti in Adamo mortui o-
 mnes. (3) Argumentatur κατ' ἄθεωπον à Superstitioso Corinthi-
 orum ritu, quo si quis morte præventus sine baptismo decessis-
 set, alium sufficiebant, quem pro defuncto baptizarent, ne is in
 Resurrectione lueret, quod baptizatus non esset. Quærit inde
 Apostolus, *quid facturi sint qui hoc ritu utuntur, si non Resurre-*
ctio daretur. (4) Ab absurdo, quo inanis foret spes nostra, quâ
 tot pericula & ipse & omnes Christiani subeant. Illustrat deniq;
 hanc thesin simili à granis in terram confitis & concludit tandem
 expositione ordinis in Resurrectione advertendi. Loca, quibus
 8. Resurrectio confirmatur, è multis pauciora adducemus, & qui-
 dem totum 37 Caput Ezech. Quo in visione Prophetæ satis cla-
 rè exhibita est. Item *Matth. 9. 15. Marc. 2. 19, 20. Job. 3. 29. Hosea. 2. 19,*
20. Ubi Christus se sponsum vocat Ecclesiæ suæ & promittit se
 eam in æternum sibi desponsaturum; E. istud conjugium mor-
 te finiri nullo modo poterit, at finiretur, resurrectione non fu-
 turâ. Huc pertinent loca de Sacramentis agentia & docentia
nos per baptismum Christum induisse Gal 3. 27. Cum Christo resur-
rectionis conformatione coalescere, uti cū eo conformationem mortis
coaluimus Rom. 6. 3, 4, 5, Consepultos cum Christo per Baptismum,
per quem etiam cum eo suscitati sumus, per fidem Dei efficaciter agen-
tis, qui suscitavit eum ex mortuis Coloss. 2. 12. Christum nos carne &
sanguine suo pascere ad vitam aternam Job. 6. 5. 4. 58. & c. Quid Re-
 9. surrectio sit causæ, Subjectum & Adjuncta docebunt. Causa Effi-
 ciens est Deus ὁ πῶδῶς consideratus, Pater *Rom. 8. 11.* Filius *Job 5.*
 28. c. 6

28. c. 6. 39, 40, 44, 45. cap. 11. 25. Spiritus S. Rom. 8, 11. Opus namque ad extra
 est, proinde indivisum & commune tribus in SS. Trinitate Personis. For-
 ma duobus quasi actibus absolvetur (1) Corporum in pulverulentam ter-
 ram conversorum restitutione & restauratione; (2) Eorundem cum a-
 nimabus suis conjunctione Job. 19. 25. Dan. 12. 2. Matth. 24. 31. c. 35, 31. Job.
 5. 28, 29. 1. Theß. 4. 16. Qui tamen duo actus successionem & fluxum tem-
 poris non admittent, sed in momento peragentur. 1. Cor. 15. 52. Finis
 Principalis est gloria Dei, qui *omnia operatur propter semet ipsum* Prov. 16.
 4. Subordinatus & respectu hominum duplex est (1) Communis, consti-
 tutio seu *πίσις* coram tribunali Christi Judicis Hebr. 9. 17. Apoc. 20. 12. [2]
 Proprius tum Electorum, Æterna gloria, tum Reproborum, æterna igno-
 minia & supplicium Dan. 12. 2. Job. 5. 28, 29. Subjectum Resurrectionis est
 tum Quod, tum Quo. Illud sunt (1) Homines, non Animantia bruta. ^{10.}
 Nam utut Rom. 8. 20, 21. dicatur Creatura Vanitati subjecta, sub spe, quod
 & ipsa liberabitur à servitute corruptionis &c. non tamen intelligitur li-
 beratio ad vitam, sed ad totalem finem. [2] Nec omnes, sed Aliqui tan-
 tum, scilicet Mortui. Nam quos vivos adveniens Dominus deprehen-
 det, non morientur, sed singulari transmutatione ita perficientur, ut æq;
 ac reliqui, qui à mortuis experrecti fuerint, glorificata corpora indeptu-
 ri & *ισάγγελαι* futuri sint, 1. Cor. 15. 51, 52, 53. 1. Theß. 4. 15, 17. (3) Omnes igi- ^{11.}
 tur mortui Subjectum adæquatam Resurrectionis erunt. Resurgent igi-
 tur (1) Infantes etiam illi, qui in utero materno extincti sunt, etiam aborti-
 tivi, modo animati fuerint, cum homines fuerint perfecti partium perfe-
 ctione, quibus corporum parvitas præjudicari nihil potest, quandoqui-
 dem non tantum *magni sed & parvi coram throno in conspectu Dei stabunt*
 Apoc. 20. 13. Resurgent (2) etiam Partus monstrofi, non qui à specie hu-
 manâ planè abhorrent & brutis, quam hominibus similiore sunt, sed
 qui adhuc referunt hominis speciem, solâ autem quantitate vel figurâ
 membrorum aberrant, sed absque talibus deformitatibus, cum aliâs verè
 felices non essent. Resurgunt (3) non pij tantum & electi, sed mali etiam
 & reprobi Dan. 12. 2. Matth. 25. 32. Job. 5. 29. Objiciuntur à Photiniani- ^{12.}
 zantibus loca (1) *Psalm. 1. 5. Improbi non exsurgent in illo judicio, aut pecca-*
tores in Cætu justorum. Resp. Sensus est: Impij non tam constante for-
 tunâ utentur ut pij, nec ad tantos honores evehentur; Exsurgere idem est
 ac extolli & florere. (2) *Jes. 26. 14. Hi mortui non reviviscent, expertes vite*
non resurgent. Resp. Ad præsentem vitam. *Jerem. 51. 39. Dormient (sc.*
Babylonij) somno perpetuo, neque expergiscentur. Resp. Est ejusdem sen-
 sus cum præcedente. (3) *Luc. 14. 14. Retribuetur tibi in resurrectione justorū.*

- Resp. Unius positio non est alterius negatio. (4) *1. Theß 4. 14. Deus qui obdormierunt in Jesu adducet cum eo.* Resp. Describitur Piorum Resurrectio, ejusq; causa, nec illico negatur Impiorum. Subjectū Quo Resurrectionis non est Anima, sed corpus, idque idem numero & Substantia, quod in hac vita animæ unitum vixit, & in morte ab ea separatum in terram revertit. Hoc probant (1) Scripturæ loca *Job. 19. 25. 1. Cor. 15. 53. Phil. 3. 21. 2. Cor. 5. 10.* (2) Ipsa Dei justitia, quæ requirit ut in eodem corpore, in quo quis vel credidit vel perseveranter peccavit, aut præmio aut pœnis afficiatur, ne aliud certet, aliud coronetur, aliud peccet, aliud plectatur, ne illa corpora quæ in Via fuere membra Christi, à Patria, alijs in eorum locum suffectis, arcerentur. (3) Ipsa Resurrectionis natura, cum tantum id resurgere dicatur, quod ante ceciderat; Quod si aliud corpus olim resurgeret, non resurrectio illa foret, sed nova creatio. (4) Ipsius Christi exemplum, qui exemplar est resurrectionis nostræ, cujus *glorioso corpori nostra corpora conformia reddentur Phil. 3. 21.* (5) Vocabulum Somni seu dormitionis Morti, evigilationis vero resurrectioni in Scripturâ tributum *Deut. 31. 16. 1. Reg. 2. 10. 6. 14. 31. c. 15. 24. Dan. 12. 2.* At dormire & evigilare nulla ratione dicitur, quod in nihilum plane conversum nunquam postea apparet. (6) Simile à granis in terram sparsis desumptum & ad mortuos applicatū. *1. Cor. 15. 36, 42.* Hæc Orthodoxa & in ecclesiâ communiter recepta sententia, varios habuit olim & adhuc habet adversarios, in specie verò Anapabtitas & Socinianos. Hi omnes opponunt Scripturæ loca & argutias humanas. Loca sunt (1) *Matth. 22. 30. Luc. 20. 36.* resp. *ἰσάγγελοι* erimus, non indentitate essentia, aliàs non æquales Angelis essemus, sed Angeli ipsi, sed qualitatis & gloriæ, uti Christus ipse post resurrectionem. (2) *1. Cor. 15. 20.* Resp. Intelligit Apostolus Carnem & Sanguinem non essentialiter & substantialiter, sed accidentaliter acceptum pro carne & sanguine animali, mortali & peccaminoso; Liquet hoc ex vers. sequente 53. (3) *1. Cor. 6. 13.* Resp. Destructur Venter non ratione Substantiæ sed officij, quia tunc cibum non amplius appetiturus aut necessum habiturus est. Ex ratione arguantur cum primis ab antropophagis, quorum corpora eadem numero non possent resurgere, quandoquidem hæc ex aliorum corporibus pariter resurrecturis heic verò manducatis & in horum substantiam conversis constant. Resp. tales argutiæ Scripturæ S. expresse aliquid asserenti opponendæ minimè sunt, Si de Voluntate Dei constat, de potentiâ ejus sollicitos esse nos non decet. Nec Antropophagorum corpora tota ex manducatis corporibus constant, cum non semper carnem humanam ederint. Perfacile ergo omnipotenti Deo erit carnem Titij à Mevio devoratum Titio reddere.

reddere & Mevij carnem ex alijs nutrimentis ortam Mevio reddere & perficere vide *Apoc. 20. 14.* Certum igitur cum sit resurrectura eadem numero mortuorum corpora, juvat etiam in eorum qualitates inquirere, in quibus sint resurrectura. Advertimus hic, quod, quemadmodum hominū resurgentium status & conditio non una futura est, sed alia Electorum, alia reproborum, non unius ejusdemq; generis futuræ sint eorum qualitates. Aliæ erunt communes tam Piis quam reprobis, ut Incorruptibilitas, Immortalitas *Marc. 9. 44, 46, 48.* Si enim Impiorum vermis non morietur, nec ignis extinguetur, sed pabulum suum semper habebit, utiq; immortalia sint oportet Impiorum corpora. Addimus adhuc immunitatem ab infirmitatibus & morbis corporeis atq; naturalibus, quibus in hac vitâ fuere subjecta, quia hi plerumq; ex inordinatâ ciborum usurpatione proveniunt, verum absentiam eorum infinitis modis in impiis compensabunt dolores & morbi illi supernaturales. Qualitates solis piis propriæ sunt, cum primis glorificatio, quod illa corpora futura sint glorificata & clarificata *Matth. 13. 43. Dan. 12. 3. 1. Cor. 15. 41. Phil. 3. 21.* Insignis item Validitas, Impassibilitas, Agilitas, Subtilitas, cum futuri simus ἰσχυροί, nec cibo, potu, somno indigi, hinc Spiritualitas fluit non substantiæ, vera namque corpora manebunt, uti Christi corpus post resurrectionem verum mansit, sed qualitatum, cum non futura sint animalia & luctæ carnis atq; Spiritus obnoxia. Tandem summa elegantia & pulchritudo atq; absolutissima omnium membrorum integritas Piorum corporibus inerit, quandoquidem summa beatitudo & gloria cum deformitate vel mutilatione consistere haut possunt. Ratione Quantitatis statuendum putamus, omnes in eâ staturâ resurrecturos, in quâ decessere *Apoc. 11. 15. c. 19. 5. c. 20. 12.* Nec sexus discrimen cessabit, cum eadem corpora resurrectura sint; Si v. foeminae in sexu virili resurgerent, non resurgerent eadem numero corpora. Nec juvat Hilarium, Basilium, Scotum aliosq; statuentes, foeminas exceptâ B. virgine in virili sexu resurrecturas Locus *Matth. 22. 28, 29, 30.* Ibi namq; Christus non dicit foeminas non resurrecturas, sed non nupturas in resurrectione; Quo sexus discrimen potius stabilitur. Adjuncta Resurrectionis advertimus tum Cohærentia tum Consequentia; Illa sunt Incertitudo temporis, Locorum Universalitas & deniq; ipsa Resurrectionis Unitas; Hæc sunt ultimum judicium, seculi Consummatio & Vita æterna. De his in subsequentibus Sectionibus agemus, de illis in hac præsentē. Nihil equidem certius est quàm Resurrectionem futuram esse die novissimo *Joh. 6. 42. cap. 11. 24.* Illo autem die nihil incertius. Et quamvis semper fuerint, qui satis curiosè & anxie diem hunc indagarint, nihil tamen magis obtinuerunt

re, quam quod auxerint hanc incertitu diem. Præ aliis speciosè & probabiliter argumentantur, qui sex mille annos mundi existentia deputant, nec videntur hac curiositate peccare, cum Salvator ipse nonnulla indicia ultimum diem brevi antegressura indicaverit nosq; jusserit ad illa attendere. Nobis tamen tutissimum erit respicere ad ea, quæ Christus docet.

21. *Marc. 13. 32, 35. Act. 1. 7.* De loco Resurrectionis non attendimus Judæorum fabulas terræ Canaan singularem prærogativam tribuentes, sed ex Scriptura, quæ hic absolutè loquitur, notamus, hunc locum non unum fore, sed ubicunq; corpora vel sepulta vel aliter absunta fuere, ibi resurrectionis argumento locorum *Job. 5. 28. Apoc. 20. 14.* Per Unitatem intelligimus non Unitatem Numericam, quasi una & eadem sit omnium Resurrectio, cum constet tot hac ratione esse Resurrectiones, quot homines resurgentes,

22. sed specificam ad unum temporis momentum restrictam. Contrarij nobis sunt Chiliastæ à doctrina sua sic dicti. Qui tum Veteres, tum Recentiores; Nec hi unius generis. Veterum Caput & Antesignanus perhibetur Cerinthus, cui in hac doctrinâ adhæsere Papias, Episcopus Hieropolitanus & multi alii ex Patribus. Horum sententia fuit: *Christum ante diem novissimum è caelis in terram rediturum, pios defunctos resuscitaturum & cum illis, ut & ijs quos vivos deprehendet, oppressis omnibus impijs apud Hierusalem vitam corporalibus voluptatibus abundantem per mille annos exacturum, judaicas ceremonias, sacrificia & Sabbathâ reducturum, & finitis hujus regni mille annis consummationem seculi & universalem omnium resurrectionem esse secuturam.* Huic sententiæ alij ex Patribus subscripsere tantum ex parte, non probantes à Cerintho assertas improbas Voluptates, fœdam scilicet epularum ingluviem & exquisitissima Ventris & Veneris requisita,

23. E recentioribus nonnulli pariter talem securum Ecclesiæ Statum, Hierosolymæ instaurationem, primam Martyrum resurrectionem, Christi in terris visibile regnum & habitationem, immò & templi ac ceremoniarum judaicarum [saltem quarundem] restitutionem sibi persuadent. Inter hos fuit Fr. Puccius Fidelinus Romæ exustus, item furibundi illi Monasterienses Anabaptistæ & nonnulli Photinianorum. Hos rejecerunt quidem ex Nostratibus DD. Piscator, Alstedius &c. ita tamen ut hujus sententiæ aliquid retinuerint, & cum primis felicem Ecclesiæ in his terris conditionem. Ad hanc referunt summam Ecclesiæ in his terris amplitudinem è judais & gentilibus conversis auctæ, Resurrectionem martyrum & regnum terrestre pace florentissimâ mille annos gavisurum, omnium Ecclesiæ hostium deletionem, plenam doctrinae & vitæ reformationem, quæ felicitas inchoanda erit illo anno, quo destruetur regnum Antichristi. Idem verò Chi-

Chiliasmum reprobant in eo, quod (1) *carnalem securitatem inducat*, (2) *quod nullos plane impios futuros dicat*. (3) *Quod statuat Christum visibiliter in terris regnaturum*. (4) *Quod hunc millenarium præcisè conjungat cum sexto millenario mundi*. Ex Lutheranis M. Henricus Ammersbachius ad SS. Petri & Pauli Halberstadii Pastor in suo Germanico Scripto, quod nominat *Mysterium ultimorum Temporum* Chiliasmum adeo propugnat, ut etiam Contradicentes pharisæos & Impios appellare non vereatur. Provocat insuper ad Sociennos Brecklingium & Seidenbecherum. Vid. ejus *Geheimnis der letzten Zeiten* & de hoc tractatu *judicium trium Facultatum Theologicarum in Universitate Marpurgenfi, Julia & Rintelensi*. Nullum hujus sententiæ membrum cum Scripturâ S. consentit. Nam visibilis Christi reditus & regnum millenarium in hoc mundo pugnat (1) Cum regno Christi mediatorio, quod unicum tantum est unum terminum habens cum finali & mundi & omnium hostium excidio *Pf. 110. 1. 1. Cor. 15. 23, 24, 25. & seq.* Hinc præsens tempus, quod inter Christi adventum primum & secundum intercedit, appellatur *Ultima hora* *1. Job. 2. 18. Et fines Seculorum 1. Cor. 10. 11.* Pugnat (2) Cum regno Christi Spirituali, quod *non est de hoc mundo, nec externum, nec veniet μετὰ τῆς καταστάσεως, sed consistit in justitiâ & pace*, non in cibo & potu ac aliis externis bonis, cujus complementum erit regnum gloriæ *ἀσάλευτον* & æternum, non temporarium aut millenarium, quod solum in omni cruce respicere & sperare jubentur fideles *Luc. 17. 20. Job. 18. 36. 2. Cor. 4. 18. Hebr. 12. 28.* Pugnat (3) cum unico adventu & *ἐπιφάνεια* Christi, quam solam Martyres & alij fideles omnes desiderant *Act. 1. 11. Phil. 3. 20. 2. Thess. 2. 1, 2, 3. 2. Tim. 4. 8. 1. Job. 3. 2.* Resuscitatio Martyrum & aliorum piorum ad seculum millenarium pugnat cum unâ & Universali omnium justorum resurrectione illo novissimo die futuram, ut patet ex *Matth. 19. 28, 29. Luc. 20. 35, 36. Job. 6. 42, 44. cap. 11. 24. Act. 3. 21. 1. Cor. 15. 22, 23, 30, 31, 32, 51, 52. 1. Thess. 4. 15, 16, 17, 18. Hebr. 8. 4. c. 9. 24, 28. c. 11. 35.* Item pugnat cum coronâ & præmio Martyribus non in regno millenario aut in hoc mundo, sed in fine seculi tunc conferendo, cum omnibus fidelibus eadem conferuntur, ut manifestum est è *Matth. 19. 23, 24, 27, 28, 29. Marc. 10. 30. Job. 14. 3. 2. Tim. 1. 12. c. 4. 8. 2. Thess. 1. 6, 7.* Oppressio omnium Impiorum & hostium & pacatissimus Ecclesiæ sine omni pugná Status pugnat cum conditione Ecclesiæ militantis sub fine mundi cum primis gravissima certamina & turbatissimum Statum experturæ vide *Matth. 24. 21. & seqq. Luc. 18. 8. Job. 15. 18, 19, 20, 21. Rom. 8. 17, 28, 29. Act. 14. 22. Col. 1. 24. 2. Tim. 2. 10, 11, 12. c. 3. 12.* Imò quia pii & fideles debent conformes fieri Capiti suo

suo Christo in ærumnis hujus mundi, sequitur vel illos non esse fideles, vel Servos esse meliores Domino suo & tot myriades fidelium nullas

29. Christi afflictiones implere. Regnum illud millenarium institutum iri prope Hierusalem pugnat cum *Joh. 4. 21. Hebr. 13. 14.* Et cum amplitudine Ecclesiæ N. T. quæ non ad unum certum locum restricta, sed per totum orbem extensa erit. Restitutio judaicarum Ceremoniarum, sacrificiorum &c. pugnat cum unico Christi sacrificio, & cum toto N. Testamento, quo Synagoga sepulta est & totum V. T. penitus abrogatum *Dan. 9. 27. Matth. 11. 13. Luc. 6. 16. Rom. 10. 4. Gal. 3. 10, 13, 24, 25. cap. 4. 10. Hebr. 7. 18.* Imo. Martyres illi, qui in terris cum reliquis piis mille annos viverent, tempus adventus Christi & finis mundi per totos mille annos certo scire possent contra ipsius Christi effatum *Marc. 13. 32.* Omnesque tunc viventes hac cognitione excellentiores forent omnibus Prophetis, Angelis &

30. Christo ipso in terris versante. Quæri etiam hic posset de istis Martyribus an è Cœlo & perfectione gloriæ in imperfectionem vitæ animalis denovo detrudendi sint? An uxores ducturi, aut proprias recepturi? An luctæ carnis & Spiritus exponendi? An antequam transferantur in Cœlum immutandi &c. Quo sensu cum reliquis tunc precaturi sint, *ne nos inducas in tentationem?* Favet in super hæc sententia, utcunque explicata fuerit, somnijs Judæorum & Mahumedanorum & communi Christianorū consensu rejicitur. Quare etiam communem zizaniorum & tritici futuram messem in consummatione seculi asseruisset Christus *Matth. 13. 39, 40.* Imo quare nos ab avaritiâ, crapulâ & geminis vitijs dehortatur, ne dies

31. extremus incautos nos opprimat *Luc. 21. 34, 35.* Si adeo innocenter tunc victuri sint homines? Potissimum quod suæ sententiæ Chiliastæ obtendunt est 20. *Cap. Apocal. Johannis.* Qui liber secundum Hieronymum, *Epist. 113. ad Paulin. tot habet sacramenta, (mysteria) quot verba.* Proinde si ullibi verum est illud Theologorum, *Prophetia non intelligitur ante complementum,* sanè hic obtinebit quammaximè. Præpostere igitur agunt Chiliastæ, cum dilucida & clarissima Scripturæ loca obscurissimo hoc exponere huncq; pro normâ clarissimorum habere satagunt. Et quamvis multæ interpretationes hujus obscurissimi textus in Ecclesiâ reperiantur, attamen nulla earum reliquis Scripturæ locis tantopere repugnat uti hæc Chiliastarum somnia. Illa autem interpretatio veritati perquam consentanea videtur, quâ per Resurrectionem primam intelligitur resurrectio à peccatis, ut *Joh. 5. 21, 25. Eph. 2. 5, 6. cap. 5. 14. Col. 2. 12. cap. 3. 1.* Et per Regnum mille annorum regnum Spirituale, quo testes Christi adeoq; omnes verè fideles sub Imperio prioris & posterioris bestię sive externè

vincerent, sive vincerentur, sive judicarent, sive judicarentur in omnibus
tamen tandem fuere Victores, judicarunt ac triumpharunt de Diabolo,
mundo & bestia utraque, in fide, professione, constantia & tota vita sua,
idque vi Spiritus & verbi, atque adeo per vitam gratiae contendere ad vi-
tam gloriae, quamvis reliqui homines manserint in infidelitate, carnali
securitate & se adversus lumen Evangelij obfirmarint aut superbè illud
spreverint, Et haec omnia durantibus mille annis à consummatione præ- 33
dicationis Apostolicæ aut everfione Hierosolymæ circa annum Christi 73.
(cum Satan à generali gentium seductione excussus est & tanquam fulgur
de Cælo cecidit, juxta prædictionem Christi *Luc. 10. 18.*) usque ad annum
1073. Sub initio Pontificatus Gregorij VII. Hæc expositio uti præ cæteris
verisimilis, ita etiam à pluribus recipitur. Nobis tamen tutius videtur
circa interpretationem hujus capituli ἐπεχειν, quàm certi quid asserere.

SECTIO III. ULTIMUM JUDICIUM EXAMINANS.

Judicium Ultimum, quod etiam Universale, manifestum, finale & con- 1
summatum appellatur addifferentiam judicij particularis, temporalis
& occulti, quod Deus in unoquoque vel in vita vel in morte ejus exercet,
certò futurum esse ex multis Scripturæ locis & præprimis ex his constat
Psal. 9. 8, 9. Collat cum Act. 17. 31. Psalm. 50. 3, 4, 5, 6. collat cum 1. Thess.
4. 16. 2. Petr. 3. 10. Psalm. 82. 8. Psalm. 98. 9. Eccles. 12. 1. Jes. 27. 2. c. 45. 23. coll.
cum Rom. 14. 11. c. 66. 15, 16. Matth. 7. 22, 23. cap. 11. 21 & seqq. c. 12. 36. c. 13.
41, 42, 43. c. 16. 27. c. 19. 28. c. 24. 29, 30, 31. c. 25. 31. & seqq. c. 26. 64. Marc. 8.
38. Luc. 17. 24. Job. 5. 27. c. 12. 48. Act. 10. 42. c. 17. 30, 31. c. 24. 25. Rom. 2. 5, 16.
c. 14. 10, 11. 2. Cor. 5. 10. 2. Thess. 1. 6, 7, 8, 9, 10. 2. Tim. 4. 1, 8. Hebr. 6, 2. c. 9. 27.
c. 10. 27, 30. c. 12. 23. 1. Petr. 4. 5. 2. Petr. 2. 9. c. 3. 7. Jud. vers. 14, 15. Apoc. 6. 13.
& seqq. c. 14. 14. & seqq. c. 22. 12. & c. Huc pertinent etiam illa duo argu-
menta, quæ pro existentia resurrectionis *Sect. præced. §. 2. & 3.* adduximus.
Quid futurum sit hoc judicium evolutio Causarum, objectorum &c. do-
cebit. Causa Efficiens, quoad auctoritatem & consensum est Deus con-
sideratus ἰσχυρὸς *Dan. 7. 9, 10. Rom. 2. 5.* Quoad executionem Deus confi- 2
deratus ὑποστυλιώης, nimirum Christus Ἰεσὺς *Matth. 28. 18. Job. 5.*
22. Act. 17. 31. Idque secundum utramque naturam unaquaque earum agente
quod suum est. Nullus proinde locus erit in hoc judicio vel Apostolis, vel
aliis Sanctis & fidelibus; Quamvis enim sessuri dicantur & judicaturi cum
Christo *Matth. 19. 28. Luc. 22. 30.* id tamen non intelligitur de auctoritate
vel potestate judicandi in ipsis, sed [1] de eo quod facturi sunt in Christo,
capite suo. (2) De approbatione sententiæ à Christo latae *Apoc. 19. 1, 3.* De
eorum testificatione, ratione ministerii & conversationis, ac comparati-
one

one vitæ eorum cum vitâ inſtorum, quâ judicis juſtitia manifeſtabitur. Angelis tamen aliquas partes heic Scriptura vindicat, quamvis non principales, Ministeriales tamen & Instrumentales; Nam (1) dicuntur judicem comitaturi. *Matth. 25. 31. Luc. 9. 26. c. 12. 9. 1. Theſſ. 4. 16. 2. Theſſ. 1. 7. Jud. 9. 14.* (2) Judicandos congregaturi *Matth. 24. 31. Marc. 13. 27.* (3) Impios à piis ſeparaturi *Matth. 13. 49.* (4) Impios ad infernum detrufuri *Matth. 13. 41, 42. c. 22. 13. c. 25. 30.* Forma hujus judicii à Chriſto ipſo *Matth. 25. 31. & ſeqq.* expoſita quatuor potiffimum actibus conſtabit; [1] Cauſæ cognitione, ubi non opus habebit judex teſtium examine, cum ipſe noverit quicquid eſt in homine *Job. 2. 25.* Neq; judicandorum confeſſione, cum ejus oculis omnia nuda ſint & aperta *Hebr. 4. 13.* Ut tamen perfectiſſima hujus judicij juſtitia alijs innotefcat & rei palam convincantur, omnia occulta clariffimè revelabit *1. Cor. 4. 5. Apoc. 20. 12.* (2) Judicandorum ſeparatione, quippe oves ab hœdis ſejunctas ad dextram collocabit hœdis ſiniſtram tenere juffis. (3) Cauſæ cognitione & ſententiæ promulgatione. (4) Sententiæ promulgatæ executione, non quod pii tunc demû cœpturi ſint beatitudine frui, & impij pœnis æternis ſubjici, cû utraq; pars à morte ſtatim in animabus & in reſurrectione in ipſis receptis corporibus æternum Statum auſpicata ſit, ſed quod cum publicâ & ſolemni ſententiæ denuntiatione atq; adeo in loco certo & deputato, juſti cœpturi ſint in cœlo, quo cum Chriſto proficiſcentur, beatitudine frui; Impij contra puniri in inferno. Sententiæ itaq; promulgatio non in cujuſq; conſcientiâ tantum abſolvetur, ſed fiet ſimul externâ Chriſti voce ab omnibus audiendâ, ut patet è *Matth. 25. 34 & ſeqq.* An verò Lex, num Evangelium hujus ſententiæ norma futura ſit quæritur? Placet equidem ſententia, quâ cum diſtinctione reſpondetur & Pios ſecundum Evangelium judicatum iri affirmatur; At Impios ſecundum legem tantum condemnatum iri non dixerim, cum etiam propterea condemnandi ſint, quod Evangelio non crediderint. Hinc legem non ſervatâ & Evangelium temere rejectum heic conjunxerim. Finis eſt tum Abſolutus & Principalis, Dei Judicis gloria *2. Theſſ. 1. 10.* Tum Subordinatus & minus Principalis Salvandorum gratuita glorificatio & damnandorum juſta punitio; Quarum illa miſericordiæ potiffimum, iſta juſtitia, utraq; veritatis divinæ demonſtratio eſt *Ap. 15. 4.* Objectum eſt vel Personale, vel Reale. Personale conſtituent (1) Angeli mali. Hi quidem à primo lapſus ſui momento pœnis ſubjecti & æternæ damnationi adſcripti fuere, & ex eo ſuum infernum ſemper ſecum fuerunt, verum hoc judicio complementum pœnarum ſuarum ita accipient, ut hominibus nocere, cultumq; divinum impedire amplius non poſſint.

sint. *Matth. 8. 29. c. 25. 41. 1. Cor. 6. 3. 2. Petr. 2. 4. Jud. 9. 6.* (2) Homines omnes tū
 boni tum mali, tum magni tum parvi, tū Vivi tum mortui. Boni per *Luc. 21.*
35. Rom. 14. 10, 11, 12. 1. Cor. 4. 4. 2. Cor. 5. 10. 2. Tim. 4. 8. Apoc. 11. 18. Pij quidem
 iudicio Discretionis & Absolutionis, Impij iudicio condemnationis. Proin-
 de cum Scriptura dicit, *pios non venturos in iudicium, vel non iudicatum* iri,
 intelligit iudicium damnationis, & dum de impijs asserit, *quod non consti-*
turi vel non surrecturi sint in iudicio, intelligit quod causa caluri sint. Si hæc
 ad ultimum iudicium accommodare licet. Parvos etiam in hoc iudicio
 comparituros patet ex *Apoc. 20. 12.* Item Vivos & mortuos ex *Act. 10. 42.* Obje-
 ctum Reale iudicij Ultimi, quod non incommodè etiam Formale appella- 8.
 ri potest, erit uniuscujusq; tum Fides tum Infidelitas, non quidem solitaria,
 sed conjuncta effectib9 suis, sc. bonis vel malis operibus *Job. 3. 18, 19, 36.* Uti e-
 nim vera fides non est sine operibus & opera ad mandatum Christi præstita
 sine fide esse nequeunt; Ita incredulitas sine malis operibus vix dabitur &
 hæc non possunt non ex incredulitate proficisci. Proinde quando iudex se-
 cundum opera iudicaturus dicitur *Matth. 25;* Id non intelligendum exclusi-
 vè ad fidem seu incredulitatem, sed contrà potius, cum illa has necessariò
 præsupponant. Per opera autem intelligimus non tantum opera strictè sic
 dicta, sed etiam verba ipsa *Matth. 12. 36.* Et cogitata *Rom. 2. 16. 1. Cor. 4. 5.* Hic 9.
 quaritur, quando quidem Deus dicitur in hoc iudicio manifestatur9 omnia
 occulta, an etiam non tantum reproborum, sed & piorum peccata sit pub-
 licaturus? Qui affirmativam tenent causantur (1) expressa Scripturæ dicta o-
 mnia omnium dicta & facta manifestatum iri affirmantia, ut *Matth. 12. 36.*
Luc. 8. 17. Rom. 14. 10, 11, 12. 1. Cor. 4. 5. 2. Cor. 5. 10 [2] Apertionem librorù. *Dan.*
7. 10. Apoc. 20. 12 (3) Christi iudicis justitiam, neminem inauditâ causa vel ab-
 soluturi vel damnaturi *Act. 17. 31.* (4) Hujus manifestationis commodum,
 quia cedit in majorem divinæ bonitatis laudem & uberiorem gratiæ com-
 mendationem, quod pœnitentes peccatores regni sui consortes facere ve-
 lit. [5] Securitatem quæ ex contrariâ sententiâ sequatur. Negativam qui tu- 10.
 entur causantur (1) iudiciale processum *Matth. 25.* descriptum, ubi altum
 silentium de peccatis piorum manifestandis. (2) Gratuitam Dei remunera-
 tionem & misericordiam, qua omnium peccatorum resipiscentium non
 amplius recordaturum sed ea in profundum maris abjecturum promittit
Jes. 43. 12. Jer. 31. 34. Ezech. 18. 22. Mich. 7. 19. Quod non faceret, si eadem ultimo
 iudicio omnibus retegeret. (3) Iudicis erga pios affectum, qui & Advocatus
 erit eorum i. *Job. 2. 1.* Proinde non ut severus iudex peccata piorum in publi-
 cum omnium conspectum produceret. Advocati enim est peccata clientis nō
 propalare sed tegere, non accusare sed excusare. (4) Officium Christi Me-
 diato-

diatorium, quo omnia credentium peccata plenissime ac perfectissime ex-
 riavit & sustulit. [5] Exemplum piorum, qui si cui delicta remittunt, sine ulla
 recordatione vel unius etiam remittunt, *Luc. 15. 20.* [6] Consequens incom-
 modum; Cum in Piorum ignominiam cederet, si peccata eorum in iudicio
 coram Angelis & hominibus manifestarentur; Fieri enim nequit, ut pecca-
 torum conspectus atq; intuitus eos non det in ruborem; Jam vero omnis i-
 gnominia à pijs in die iudicij exulabit. [7] defectū causæ necessariæ, quia
 neq; peccatorum copia, quæ pijs remittit, neq; misericordiæ divinæ magni-
 tudo Deum movere possit ad talem manifestationem, cum hæc omnia jam
 tum satis palam pateant. Respondent etiam hi ad rationes pro affirmativâ,
 & quidem ad [1] dici quidem, quod omnia manifestanda sint, id verò non acci-
 piendum collectivè, quasi tam piorum, quàm impiorum peccata sint revelanda;
 sed distributivè, quod piorum bona opera & impiorum mala opera etiam sine te-
 stibus vel arbitris facta in lucem protrahenda sint. Ad (2) distinguunt inter librum
 vitæ & Conscientiæ; Librum conscientiæ pro impiis, librum vitæ pro pijs apertu-
 ri, cum ipsa Scriptura inter libros aperiendos distinguat *Apoc. 20. 12.* Pios equi-
 dem conscientias non omnino mundas habituros ex dono sanctificationis; At ex
 dono justificationis mundissimas. Ad (3) Nihil aliud sequi, quàm piorum bona
 opera manifestanda, eosq; secundum illa iudicandos. Ad (4) Negando totum,
 cum contrarium verius sit. Ad (5) iterum negando totum, cum nulli, nisi qui suã
 veram fidem & respicientiam ipsis operibus probant talem omnimodam remisso-
 nis & oblivionis spem sibi promittere habeant. Verum & ad rationes pro nega-
 tiva facilè responderi potest, & quidem ad [1] unius positionem non esse
 negationem alterius, scripturam sibi non opponendam, sed secum compo-
 nendam & ex se explicandam. Ad [2] omnimodam illam misericordiam
 Dei satis patere, si peccata piorum non puniat, quamvis publicè recenseat.
 Ad (3) Advocatus est Christus, non qua iudex, sed qua Mediator, hoc respe-
 ctu piorum peccata tegit iisq; remissionem impetrat, illo recensebit. Ad [4]
 Inde non sequitur, quod planè non possint manifestari, sed quod non ma-
 nifestanda sint ad pœnam. Ad (5) negatur quod non recordentur, sufficit
 quod non recordentur ad vindictam, & de tali oblivione loquitur loc9 al-
 legatus. Ad [6] Recordatio infirmitatum carnalium non ignominiam ce-
 det homini Spirituali, uti nobis adultis non in ignominiam cedit memoria
 eorum, quæ Infantes perpetravimus. Ad (7) in genere quidem satis patebit
 Dei gloria, at in specie magis patebit, si Angelis & pijs ipsis remissa peccata
 in specie recenseantur. Ex his omnibus inter se collatis nihil certius fuit
 quàm illud, NON LIQUET; Interim si aliquid dicendum esset, diceremus, ne-
 gativam sententiam videri verisimiliorem; Affirmativam verò in Ecclesi-

magis necessariam & utiliore. Adjuncta sequuntur, quæ sunt Antecedentia, Cohærentia & Cōsequentia. Antecedentia sunt signa judicium hoc antegressura; Eaq; vel remota vel Proxima, & utraq; bene multa: Quippe ad remota pertinent Hæresium & hæreticorum multiplicatio *Matth. 24. 5, 11, 23, 24.* Bellorum, Seditiōnū, pestilentiarum & terræ motuū gravitas, *Matth. 24. 6, 7, 8.* Horribilis Piorum persecutio *Marc. 13. 9, 12, 13.* Extrema impietas & morum corruptio *Luc. 17. 26. usq; ad 30. 2. Tim. 3. 1, 2, 3, 4, 5.* Evangelii prædicatio per totum orbem *Matth. 24. 14. Marc. 13. 10.* Proximis accensentur AntiChristi revelatio *2. Tim. 2. 3, 4, 8.* Variorum prodigiorum in toto orbe observatio. *Luc. 21. 25, 26.* Et deniq; visibilis Christi judicis in nube gloriosus idemq; localis reditus *Matth. 24. 30. c. 26. 64. Marc. 14. 62. Act. 1. 9, 11. Apoc. 1. 7. 14. c. 14. 14.* Cohærentia Adjuncta dicimus, quæ quod affectionum definitionē recipiunt propriè Affectiones appellari merentur, Loci & Temporis incertitudinem. Hoc quidem certissimum est, terminum à Quo esse Cœlum, terminum ad quem communem esse has inferiores mundi partes, at cum de speciali Scriptura taceat, præstat & nos tacere. Idem de tempore, quo hoc judicium instituetur, dicendum. Quot dies seu annos hoc judicium duraturum sit, temere quæritur, quia tunc exercebitur, ubi nulla amplius dierū distinctio erit. Consequentia sunt Piorum in Cœlum subvectio, *Job. 14. 2, 3. Eph. 2. 6. 1. Thes. 4. 17. Hebr. 11. 10.* Et Impiorum in Infernum detrusio; Christi regni Mediatorii in manus Patris traditio *1. Cor. 15. 24.* Cœli terræq; conflagratio *2. Petr. 3. 10.* Atq; adeo totius mundi visibilis omnisq; Seculi consummatio & finis, *Apoc. 10. 6. c. 20. 11.* Deniq; piorum in Cœlo cum Deo & impiorum in inferno æterna vita. De hac Sectione subsequente, de illo jam dispicemus breviter. Hunc Mundi finem & seculi consummationem certo futuram esse adhuc probant loca *Pf. 72. 7. Pf. 102. 26, 27, 28. Jes. 34. 4. c. 51. 6. Soph. 1. 18. c. 3. 8. Matth. 13. 39, 40, 49. c. 24. 35. Marc. 13. 31. Luc. 21. 33. Rom. 8. 19. & seqq. 1. Cor. 7. 31. c. 10. 11. c. 15, 24. 2. Cor. 4. 18. 1. Petr. 4. 7. 2. Petr. 3. 7, 10, 11, 12. 1. Job. 2. 17. Apoc. 6. 13, 14, 15. & c.* Qualis verò consummatio futura sit, an secundum Substantiam, an verò secundum Qualitates tantum, inter Theologos controversatur. Hanc qui tuentur sententiam, adducunt cum primis locum *Rom. 8. 19, 20, 21, 22.* dicitur enim hic *Creatura exerto capite expectare sui liberationē in libertatem gloria filiorum Dei.* Addunt *Pf. 102. 27.* Ubi *Deus mundum dicitur mutaturus ut indumentum;* Quæ adhuc adducuntur exiguę probationis sunt. Illi vero qui pro substantiali mundi interitu pugnant hæc cum primis dicta causantur *Pf. 72. 7. Pf. 102. 27. Jes. 34. 4. c. 65. 17. Soph. 1. 18. Matth. 5. 18. c. 24. 35. 1. Cor. 15. 24. 1. Petr. 4. 7. 2. Petr. 3. 7, 10, 11, 12. 1. Job. 2. 17. Apoc. 10. 6. c. 20. 11. c. 21. 1.* Ex quibus locis tale formant argumentum: *Quicquid ita transit, præterit,*

rit, abicit, consumitur, inflammatur, exuritur, perit, ut conflagret, finiatur, consummetur & non amplius sit, nec locus ei inveniatur, illud non qualitatum tantum immutationem, sed & ipsius Substantie abolitionem sustinet; At qui illud citatis locis de Mundo dicitur. E. Hi ad loca opposita respondent, & quidem ad (1) Per prosopopoeiam Creaturae liberationis desiderium tribui, non proprie, & quidem illius liberationis, quam obtinet, dum destruitur, cum Creatura malie non esse, quam abusu hominum subjecta contra Creatorem suum militare; Quodque non intelligatur liberatio ad renovationem inde constare, quia sic non tantum Caeli & Elementorum, sed & metallorum, plantarum, brutorum instauratio & duratio futura esset, cum & haec nomine *ἀϊσέως* comprehendantur. Ad [2] dicunt intelligi mutationem substantie destructivam, hoc inde manifestum esse, quia mundus expresse dicitur periturus, & omnia ut vestimentum veteratura, at tale vestimentum vetustate attritum non instaurativè mutari, sed destructivè. Et his probè expensis constare putamus, illam pro Substantiali abolitione mundi probabiliorem esse. At, inquis, sic etiam Caelum beatorum annihilabitur, Resp. Falsum hoc, nam illud caelum hoc respectu non accensetur coelis abolendis, cum sit (1) aeternum 2. Cor 51 (2) Ab Abrahamo fide expectata civitas, fundamentum habens, cujus artifex & conditor est Deus Hebr. 11. 10. (3) Ille locus, in quo Electos suos Christus secum esse vult, quò prior ascendit, ut mansiones ibidem pararet Job. 14. 2. & 17. 24. [4] Ille locus in quo ad mandatum Salvatoris reconditi thesauri ab omni vi & corruptione tuti sunt, ubi nec rinea, nec erosio corrumpit &c. Matth. 6. 20. At tanta ejus securitas non esset, si flammis tandem exureretur. (5) Ille locus, ubi nostrum est *πρόσθευμα* Phil. 3. 20. Ubi spes nostra reposita est, Col. 1. 5. Ubi servata nobis hereditas est, quae nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere 1. Petr. 1. 4.

SECTIO IV. VITAM AETERNAM CONTEMPLANS.

1. Vitam aeternam hoc loco accipimus non pro animae & corporis interrupta & aeternae conjunctione, quae reprobis etiam communis erit, sed pro statu beatorum felicissimo, statui damnatorum, qui propterea Mors aeterna appellatur, seu aeternum exitium 2. Thess. 1. 9. opposito. Certò futuram esse hanc vitam aeternam liquet è Jes. 66. 22, 23. Dan. 12. 2, 3. Matth. 25. 46. Job. 10. 28. 1. Cor. 15. 19. Hebr. 13. 14. 1. Job. 2. 25. Adde, si certa est (1) Animarum Immortalitas, certò futura (2) Mortuorum Resurrectio, certò futurum (3) Ultimum judicium & seculorum consummatio, quidni etiam vita aeterna certò futura esset? Causa Efficiens ejus Principalis est Deus gratis hominem salvans Luc. 12. 32. Job. 6. 42, 43. Rom. 6. 23. Meritoria est solus Christus Job. 14. 6. Instrumentalis offerens est Evangelium; Recipiens fides 1. Petr. 1. 9. Subjectum sunt soli Fideles & Electi Job. 3. 14. Act. 13. 48. Forma consistit (1)


in omnium malorum contrariorum remotione; (2) In Bonorum omnium
perfectissima fruitione. Immunes proinde erunt (1) A peccatis & carnali
concupiscentia, omnis mali fonte *Apo. 21. 27.* (2) A tyrannide Diaboli *A-*
poc 20. 10. (3) A mundi insultu & seductione *Apo. 22. 15.* (4) Ab omni deniq;
miseriâ, quæ est à peccato, Diabolo & mundo *Rom. 8. 23. 1. Cor. 15. 53.* Bona 4.
autem, quibus fruuntur Beati gemina iterum erunt; Principale Unum & re-
liqua Secundaria. Principalis erit perfectissima Beatorum cum Deo Unio
non nisi in immediatâ Dei visione consistens, quâ sine medijs Deum de fa-
cie ad faciem videbunt, h. e. perfectissimè eum ejusq; gloriam sine ullo im-
pedimento sentiemus *1. Cor. 13. 12. 1. Job. 3. 2.* Hæc visio quamvis futura sit non
abstractiva sed intuitiva, non per species intelligibiles sed immediatè fera-
tur in ipsam divinam Essentiam, cum abstracta visio imperfecta sit & inde
unicè necessaria, quia objectum nobis immediatè non est præsens; At Dei
Essentia Spiritualis est & menti beatorum intimè præsens & conjuncta,
hinc dicimur *eum visuri de facie in faciem & cognituri prout cogniti sumus &*
visuri sicuti est, hæc tamen Visio non fiet lumine naturali, sed extraordina-
rio singulariter à Deo nobis tunc communicando: Ut enim in hac vita ho-
mini opus est lumine supernaturali, ut cum Deo per fidem communionem
veram habere possit *Matth. 16. 17. Act. 16. 14. 2. Cor. 4. 6.* Itâ nec tunc sine no-
vo lumine eò penetrare evalebimus; Nec etiam comprehensiva illa cogni- 5.
tio erit, sed sufficet etiamnum nobis apprehensiva, intellectu nostro finito
in infinitum non abituro; nec perageretur oculis corporeis illa visio, nam est
aiogalos Deus *Col. 1. 15.* Nec Spiritus objectum existit oculorum, Sed animi,
eo scilicet modo, quo Angeli in Cœlis faciem Patris semper videntes & A-
nimæ Beatorum Corporeo visu destitutæ eum intuentur; Hinc Scriptura
promiscuè adhibet cognitionem & visionem. Et quamvis cum ipsa Essen-
tiâ ipsa etiam Essentialia attributa intuituri simus, quia Deum videbimus
sicuti est, & quia etiam in admirationem attributorum erupturi dicimur,
utpote quæ ab Essentiâ nihil absunt, & ob eandem rationem in cognitio-
nem Personarum penetraturi; Hæc tamen cognitio non dependebit ex na- 6.
turali habitudine Dei cognoscendi ad nostram cognoscentem potentiam,
sed ex solâ Dei voluntate & arbitraria ejus dispensatione *Matth. 11. 27.* Nec
ad divina decreta aut opera libera & ad extra se extendit; Hæc enim eate-
nus cognoscentur, quatenus Deus unicuiq; singulariter patefacere vult;
Unde Angeli faciem Patris semper videntes, diem judicij tamen ignorant
Marc. 13. 32. Secundaria bona iterum quadruplicia existent (1) Perfectissima 7.
Beatorum renovatio & Glorificatio tum quâ animam, tum quâ corpus
Matth. 22. 30. 1. Job. 3. 2. Quales quantaq; perfectiones inde in animam re-

dundaturæ sint, ex dictis patet. In corpus redūdabit (1) Spiritualitas *Matth.*
22.30. Luc. 20.36. Adeo ut futura hinc sint Spiritualia, nec tamen Spiritus, &
 veluti corpus secundum essentiam in Spiritum non convertetur, ita nec es-
 sentiales Spiritus qualitates induere potest, cum hæ ab essentiâ Spiritus ni-
 hil absint. [2] Immortalitas & incorruptibilitas *1. Cor. 15.42* non ex conditi-
 one naturali, quale quid in Angelis propter eorum simplicitatem obtinet,
 sed ex Singulari Dei dispensatione emanans. [3] Impatibilitas *Apoc. 7.16. c.*
21.4. Quod iterum non in actu primo, sed secundo intelligendum. [4] Cla-
 ritas summusq; splendor *Matth. 13.43.* (5) Perpetua Sanitas & robur *1. Cor.*
15.43,44. [6] Perfectissima pulchritudo, per textum modo citatum. [7] A-
 gilitas, non quæ Angelis propria, sed quæ in corpora propter imperfectio-
 num absentiam redundare possunt. Qui simul penetrabilitatem, illocalita-
 tem, invisibilitatem, impalpabilitatē, glorificatis transcriptum eunt, con-
 8. tra Scripturam cum Socinianis vera corpora in Spiritus transformant. [II]
 Imaginis divinæ perfecta Instauratio *1. Job. 3.2.* (III) Sanctorum Angelorū
 & electorum hominum jucundissima Societas *Hebr. 12.22,23.* Ubi futura
 est mutua Beatorum notitia, sermo & communicatio, cujus modus & si cu-
 riosius quæri non debeat, res ipsa tamen constat ex *Matth. 17.7. Luc. 9.30,31.*
cap. 16.23,24. Quâ linguâ incertum est, etsi certum linguas è peccato ortas *1.*
Cor. 13.8. ibidem cessaturas, manente Hebræâ, ut probabiliter colligitur ex
 9. *Act. 26.14.* (IV) Summa & inexhausta lætitia *Job. 16.22.* Quæ non impedi-
 tur, quod Beati agnatos suos inter damnatos sunt visuri, quia abolitus erit
 omnis carnalis affectus. Quippe Deus multò vehementius dilexit genus
 humanum, quàm ullus parens diligere potest suum Filium *Job. 3.16.* Nec ta-
 men ex intuitu damnatorum ipsius felicitas & gaudium ullâ ratione tur-
 10. bari poterit. Major affectus extinguit minorem, Spiritualis & cœlestis car-
 no ingenio non cōprehendi nec linguâ exprimi in hac mortalitate potest.
 An diversi hujus felicitatis gradus futuri sint, quæritur? Affirmativa sen-
 tentia adstruitur his potissimum: *Dan. 12.3. 1. Cor. 15.41.* Adduntur ut minus
 11. Principalia *Matth. 19.28. Luc. 22.30. 1. Cor. 9.6.* Pro negativa adducuntur
Matth. 13.43. 1. Cor. 6.2. 2. Tim. 4.8. Hebr. 12.23. Item quia justificatio in omnib9
 est equalis; quia inequalitas graduum presupponit meritum humanum. Ad
 argumenta pro affirmativâ sententiâ & quidem ad (1) respondetur (α) Rem,
 12. non modum denotari, ut patet ex *Matth. 13.43.* Ubi longè Major splendor omnib9
 ex aquo promittitur. (β) Si per primum vocabulum intelliguntur Intelligentes,
 quâ significationem hæc Vox Hebræa (hammaschilim) itidem habet, sequitur
 intelligentium & justorum aequalem fore gloriam; At qui omnes Beati erunt in-
 tel-

celligentes: Sin vero vocabulum caperetur transitive pro erudientibus, sequere-
tur hoc dicto per Erudientes & justificantes idem subiectum monstrari, indeq;
idem predicatum, omnes proinde Doctores ut firmamentum & stella splende-
bunt; Verum hoc omnibus Beatis commune erit per Matth. 13. 43. Doctores au-
tem præ Cæteris tali consolatione erigendi erant, quia eorum conditio præ cæ-
terorum tristior. (γ) Si Doctoribus talis prærogativa competeret, haberetur re-
spectus meriti papani. (δ) Competeret hæc Eminentia sæpe valde indignis, cum
Doctores haut rarenter sint statua Mercuriales & nuda tintinnabula, qui a-
lios ad vitam erudiunt ipsi eò per venturi nunquam; Ut Pharisei & Scribae. Ad
(2) Non comparari corpora glorificata inter se, sed cum corporibus in hac vitâ, 13.
ut id ex oculari inspectione hujus capituli liquidissime constat. Ad (3 & 4.) His i-
terum non qualitatem & diversitatem rei, sed rem ipsam, scilicet æternam glo-
riam sub illis phrasibus, quæ ad illas Personas quibus Christus tunc loquebatur,
accommodatæ erant, quib9q; aliàs res maximè amabiles exprimuntur, notari.
Hoc patet ex versu immediatè subsequente 29; Ubi pro eodem studio eadem mer-
ces omnibus promiscuè promittitur; Et ex 1. Cor. 6. 2, 3. Ubi totius mundi & Ange-
lorum etiam iudicium omnibus Sanctis promittitur. Ad. (5) Non æterna messis,
sed temporalis intelligitur & presentis vitæ Sensus est: Qui parce Eleemosynas
seu dona distribuit, exiguam compensationem reportabit. Ex his concludim9,
aientem sententiam esse communiorem; Negantem verò probabiliorem
videri. Finis Principalis est iterum Dei glorificantis gloria Apoc. 5. 9. Minus 14.
Principalis glorificatorū æterna felicitas. Adjuncta præprimis sunt (1) A-
mœnissimus locus. (2) Æternitas. Ille est Cælum 1. Petr. 1. 4. Thronus ille
Dei supra omnes hos visibiles Cælos gloriosissimus & lucidissimus, indeq;
appellatus tertium cælum & Paradis9 2. Cor. 12. 2, 4. collocatus supra omnes
Cælos Eph. 4. 10, Vel hinc etiam maximum momentum Beatorum felicitati
accedere quivis intelligit, quæ multò magis augebitur ejusdem æterni-
tate. Certè desiderium nostrum non explet nec perfectè bonum est, quod
possidemus cum metu amissionis; At cum hæc sit hereditas, quæ nec perire
potest, nec contaminari, nec marcescere 1. Petr. 1. 4. Et immarcessibilis gloria co- 15.
rona c. 51. 4. Inde omnibus numeris absolutissima & perfectissima Felicitas
sit oportebit. Hæc igitur Vita æterna est consummata Filiorum Dei in per-
fectâ ab omni malo liberatione & omni boni, Summi cum primis, impe-
tratione consistens felicitas. Hæc ex oppositi, scilicet Æternæ Mortis Con-
templatione longè clarius enitescet. Apellatur hæc jam æterna damnatio,
am Infernus &c. Nobisq; hoc loco accipitur pro tristissima & horribilif-
sima Damnatorum æternâ conditione. Dari hanc, probant Dan. 12. 2. Matth.
25. 41. 46. Marc. 9. 47, 48. Causa Promerens, est Impiorum à Deo defectio, fi- 16.
nalis

nalis incredulitas & Impietas *Matth. 25. 42 & seq. Marc. 16. 16. Job. 3. 36.* De-
 cernens est dictitans & Deus ὑποστυλιζόμενος consideratus *Matth. 25. 41.* Formalis
 ratio hujus consistit in absentia boni & Præsentia mali. Illa est separatio à
 Deo, quæ maximum damnatorum malum est & reliquorum innumerabi-
 lium fons & origo; Hinc namq; oritur totalis separatio ab Angelis & bea-
 17. tis hominibus *Matth. 22. 13.* Ad quas sequitur denegatio omnis commiserationis
 tam divinæ quàm humanæ *Prov. 1. 26.* Mala præsentia rursus sunt tum
 Externa, tum Interna. Illorum primum est (1) Horribilis ille tormentorū
 locus *Luc. 16. 28.* Qui aliàs appellatur Infernus, Gehenna, stagnum ignis ar-
 dens sulphure *Pf. 49. 15. Luc. 12. 5. Apoc. 19. 20.* Ubinam verò hic locus sit, an
 in terris & maris concavitatibus, an extra hunc mundum visibilem consti-
 tutus non anxie quærendum, sed anxie ut evitetur studendum. (2) Socie-
 tas damnatorum tum hominum tum Spirituum *Apoc. 20. 10.* Quæ tortura
 eo gravior erit, quò perfectior voluptas quæ beatis ex perpetuâ Dei visione
 18. erit. Hæc sunt (1) Ira Dei ut ignis ardens æternum duratura *Hebr. 12. 29. Ap. 14. 10, 11.*
 (2) Morsus Conscientiæ è continuâ peccatorum recordatione &
 inutili displicentiâ ortus, qui etiâ vermis rodens appellatur *Jes. 66. 24. Marc. 9. 44.*
 (3) Extrema Ignominia ex peccatorum in eorum conscientia & An-
 gelorum Beatorumq; hominum testimonio patefactione orta. *Dan. 12. 2.*
 Tandemq; Ineffabilis angustia *Rom. 2. 9.* perpetua invidia animam & Spiritum
 ebibens *Pf. 112. 10.* Timor, horror & perpetua desperatio cum furore
 19. summo conjuncta *Matth. 22. 13. Apoc. 6. 16. c. 9. 6. c. 14. 11.* Hi cruciatus omnes
 utut immensi erunt nec modum habebunt ullum, gradus tamen admittent
 nec futuri sunt æquales per loca *Matth. 10. 15. c. 11. 21, 22, 23. c. 23. 14, 15. Luc. 12. 47, 48. Rom. 2. 6. 2. Cor. 5. 10.* Verum ex hac inæqualitate infernaliū poenarū
 si quis inæqualitatem gloriæ in cœlis inferre vellet, eodē jure inferre pos-
 set æternam salutem ex merito dari, quia cruciatus infernales ex merito in-
 fligentur. Inæqualitas poenarum inæqualibus meritis & peccatis debebitur;
 At quod vel salutem ipsam vel excellentiores ejus gradus meretur in homi-
 20. nibus, nihil est. Subjectum sunt omnes damnati Angeli & homines & Finis
 Judicis Dei est æterna justitiæ & patientiæ gloria; [Finis veto seu ter-
 minus durationis est nullus, cum in æternum duraturi sint hi crucia-
 tus, uti ex sæpe citatis locis patet.]

TANTUM!





UT, WEIDERE, queas aliquando PASCERE Christi
Ritè Gregem, mentem non sine laude paras.
Nunc agis æterna de vitá, ducere ad ipsam
Successu ut multos prosperiore queas.
Pergito sic, non sine tuo frustraberis unquam,
PASCET Te æternum **PASTOR** & ille Bonus.

In honorem Eximij & Doctissimi Dni.

Respondentis paucula hæc fudit

JOHANNES Rießelman /

S.S. Theol. D. & Prof. Publ.

Ordin.



ÆTERNAM VITAM semper spectare decebit,
Huc omnes tendant & labor atq; scopus.
Nam valde subito præsentia cuncta peribunt,
Et vitam veram non nisi fati dabunt.
Hinc WEIDERE tuum promptus collaudo laborem,
Quem de Cælesti conditione subis.
Hoc age constanter, Vitam sectare futuram,
Sic pius & doctus sicq; beatus eris.

Lmq; f.

P R Æ S E S.


Spica-

Splendida Weiderum Virtus, Candorque benignus
Et pius in Christum glorificavit amor.
Glorificat celebri, quam fundit litera motu,
Litera, qua reprobos pramonet atque probos.
Talia Conantem coelestis florida vitæ
Palma, beante Deo, glorificabit Eum.
Glorificate Deo, præsentes gratulor ausus.
Glorificande Deo, dona futura precor.

Eximio Dn. Respondenti

Imquè app.


PHILIPPUS BUCHIUS D.



17 WA 1720







I. N. D. M. J. C.
DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
STATU HOMINIS
POST HANC VITAM,


QUAM
Concedente Venerandâ Facultate THEOLOGICA,
In Alma Marchiarum Universitate,
Eruditorum Ventilationi Submittunt,

P R Æ S E S
JOHANNES SIMONIS,

SS. Theol. Doctor, Logicæ Ord: & Metaph: Extraord:
P. P. & h. t. Facultatis Philosoph. DECANUS.

Respondens
GOTHOFREDUS SIGISMUNDUS Weider/
Coth. Anhaltinus.

DIE 5. MARTII.
Horis loquæ consuetis.



Excudit ANDREAS BECMANUS,
M DC LXX.

